animum poterat expugnare, quidam enim securi ludebant, nescio
quas palmas in lusu illo essent lucraturi, et sua crepundia conde:
ri querelis lamentabantur, cumque iam matris inclamarent nomen,
vox illa, barbarorum ferro intercisa medio gutture emoriebatur; qui:
dam verò infestas sarissas, tanquam in arundine longa equitatu:
ri conscendebant, et tela amplexi hostibus arridebant, neque prius se
non iocari credebant, quam mori inciperent: dormiebant alii, et inter
leves molliculi ronchi anhelitus animas exhalabant, atque ita ingenio:
sa crudelitas dormientes etiam vincere docebat: quid? quod aliqui
maternis uberibus penduli proprium cruorem lacti commixtum su:
gebant; quot verò putatis dubio gradu ad matres reptantes, ab
armatis militum pedibus conculcatos? cadebant ubique infantuli,
et in cruore suo ludentes adhuc alter alterius claudebat oculos.
Hic iacebat unus mutilatis membris, et ossibus suffultus, ibi alius su:
pinus sanguinem, quem per vulnera effuderat ore hauriebat, illic al:
ter facie ad coelos conversa, palpitantibus oculis, qua anima progre:
deretur, nec defuere qui mutuis amplexibus devincti, pro:
pinè iacenti socio ultima oscula, et iam frigentibus labiis exangui
a, inspiraret, et veluti alter alteri spiritus suos impertiri vellet, mu
tuo amore labellis labra applicabant: dulcis laud: vulnera com=
memorem quibus immatura vita extinguebatur? at sinite me, si:
nite quaeso praeterire, deerant enim tantula corpora vulneribus, post
quam vulnera corporibus non defuere ~~vulneribus~~, ingenium quippe bar:
baris in tam miseranda laniena non deerat: corpora quae angusta
nimis erant ferro laxabant, et cum deesset quod ferirent, inveni:
ebant nihilominus quod occiderent; res erat prorsus immanissima,
per vulnerum hiatus, quasi per tot ostia fluitantem animam